

Lignum subterraneum, quod aliqui è ligno in lapidem versum arbitrantur, in Gallia vulgò lapidem fulminis appellant: vt scripsi suprà Cap. 3. Est vbi adeò induretur lignum, vt vel Cotes ex eo fiant, aut fieri possint.

Samothracia insula eiusdem nominis gemmam dat nigram, ac sine pondere, ligno similem, Plinius. Fortè autem Gagates hæc fuerit. Lignum in Bôlum Armeniã conuersum, Aldrouandus Bononiæ habet. Orbis (*αυείρα*) dictus in lignis, iniquior, tractatùque difficilior quàm nodus artificii obstat: similiter autem vt in lapidibus qui stimulus (*κύντρον*) vocatur, nasci videtur, Theophrastus histor. libro 5. cap. 3. Inueniuntur etiam lapides & alia interdum plantis, (arborum præcipuè lignis,) inclusa: Lege Theophrastum loco iam citato, & Scaligerum Exercitationis 137. parte 1. Lapis qui trũco arboris pro cunei more impingi solet, fœtus retinet, Aëtius.

Rr 5